



Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

B. Pavlinvs Tigvtiæ Imo Tibvrniæ Noricorvm Pontifex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

B. PAVLINVS

TIGVRIÆ IMO TIBVRIÆ NORICORVM

PONTIFEX.

CCCC LXXVI.
Auent. l. 2.
Scholias Eugippij.
c. 25.

PAulinus S. cognomine describit Eugippius his verbis, Quidā de Norico Maximinus nomine seruū Dei frequentare solitū erat. Et cum pro familiaritate quā meruerat, in monasteriū Sancti viri diebus aliquot moraretur, eius informatur oraculis patriam suā graue repente exitium subiturum. Qui acceptis literis ad Sanctum Paulinum Episcopum designatis, remeauit instantius. Igitur memoratus antistes literarum tenore perstructus vniuersas dieceses sue castella scriptis proprijs vehementer admonuit, vt triduo ieiunio, quod litera viri Dei signauerant, exitio venturae cladis occurrerent. Quibus iussa complentibus terminato ieiunio ecce Alamannorum copiosissima multitudo feraciter cuncta vastauit. Castella verò nullum sensere periculum, quæ lorica fidelis ieiunij, & laudanda cordis humilitas aduersus hostium ferociam fidenter armauerat. Quamuis autem Eugippius Sanctum appellet, non vrgeo tamen ex eo Sanctum fuisse Paulinum, cum epistolis S. Augustini T. 2. & Hieronymi constet, id temporis ita quoscunque Episcopos appellatos, vt & abbates. sed colloco illum hic vt pium virū, vt & Lucillum presbyterum, quales fuisse ex Eugippio constat. Meminit de eodem nondum Episcopo, Paulinus quidam ad S. Sewerinum, fama eius latius percurrente, peruenerat, hic in consortio beati viri diebus aliquot remoratus, cum redire vellet, audiuit ab eo, Venerabilis presbyter festina, quia scito dilectionem tuam populorum desiderijs, vt credimus oblectantem, dignitas episcopatus ornabit. Mox remeante ad patriam sermo in eo prædicantis impletus est. Nam ciues Tiburniæ, quæ est metropolis Norici, coegerunt prædictum virum summi sacerdotij suscipere principatum. Tiburniam porò multi acceperunt Ratisponam & inde Paulinum primum Ratisponensem pontificem posuerunt, quos Eugippij Scholias reseruit refellit: Ab hoc, inquit, episcoporum suorum catalogum auspicantur Reginoburgenses; omnino temere. nam ex ijs quæ ad caput XVII. annotauimus liquidò constat Tigrinam Norici metropolim Reginoburgum non esse. Conradus quidam Reginoburgensis Canonicus, qui ante CC. annos vixit, primus istius sententiæ auctor: eum ceteri vt fit, re parum existimata, secuti. Ne sibi verò Reginoburgenses, quorum beneficio Eugippium vulgamus, ex puncto Paulino iniuriam fieri conquerantur, genuinos duos pro suppositio hoc vno episcopo dabimus, in illorum fa-

Mediterranei.

istos haecenus non relatos: Ioseppum primum, cuius isto loco meminit nemo. Cyri-
 num deinde, cuius Hundius in metrop. subobscurè, at is in vita S. Emmeranni
 quam scripsit, siue Haimmerammi ut antiqui codices habent, sub finem Ioseppum
 episcopum decessorem suum disertè appellat, & ex hac ipsa vita colligas Gau-
 baldum, qui sub Pipino vixit, utrumque fuisse supparem. Hunc locum e-
 mendauit M. Velferus in suo codice his verbis, Ioseppus fuit Frisingensis
 non Reginoburgensis Episcopus, quod cum ex Catalogo, tum aliunde liquet. Ergo
 Cyrinus quoque successor Frisingensis fuit. Sed Scholiasten Surius in er-
 rorem traxit, qui Cyrinum in vita S. Emmerammi, quam scripsit,
 Ratiponensem Episcopum vocat. Quæ Hundius de hoc tradidit
 in metrop. cum ipsius etiam iudicio omnia sint confusa, nihil te
 moueant: nec cogita, quæcunque de Paulino Pontifice Nolano
 aut alijs Paulinis vel Britannico vel Coloniensi traduntur, huc perti-
 nere. Omnes ab hoc Tiburiensi sunt diuersi. Interim vene-
 randus Paulinus in calo, vbicunque fuerit
 Tiburnia in terris.

Hi duo tamen non fuisse
 Episcopi Ratipon-
 nenses sed Frisingen-
 ses, ut Scholiastes ipse
 seipsum correxit.

